BIBLIA. ISIDORUS HISPALENSIS. EUCHERIUS LUGDUNENSIS
Admont, 12. Jh. Seite 148r
Quelle: https://manuscripta.at/?ID=26491
Copyright: Admont, Benediktinerstift



Propter quod et frequenter arcersiens eum loquebatur cum eo.
Biennio autem expleto. accepit successorem felix portium
festum. Volens autem gratiam prestare iudeis felix. Reli
quid paulum uinctum. festus cum uenisset in prouinciam.
post triduum ascendit hierosolimam a cesarea. Adi
erunt eum principes sacerdotum et primi iudeorum aduersus pau
lum. Et rogabant eum postulantes gratiam aduersus eum ut iu
beret perduci eum in hierusalem. Insidias tendentes ut
eum interficerent in uia. festus autem respondit seruari quidem
paulum in cesarea. se autem maturius profecturum. Qui
ergo in uobis ait. potentes sunt descendentes simul.
si quid est in uiro crimen accusent eum. Demoratus est autem
inter eos dies non amplius quam octo aut decem. et des
cendit cesaream. Et altera die sedit pro tribunali.
et iussit paulum adduci. Qui cum perductus esset.
Circumsteterunt eum qui ab hierusolima descenderant
iudei. Multas et graues causas obicientes. quas
non poterant probare. Paulo autem rationem reddente
quoniam neque in lege iudeorum. neque in templum neque
in cesarem quicquam peccaui. festus autem uolens iudeis
gratiam prestare. Respondens paulo dixit. Vis hie
rosolimam ascendere. et ibi de his iudicari apud
me. Dixit autem paulus. ad tribunal cesaris sto. ibi me
oportet iudicari. Iudeis non nocui. sicut tu melius
nosti. Si enim nocui aut dignum morte aliquid feci. non
recuso mori. Si uero nihil est eorum que hi accusant me.
nemo potest me illis donare. cesarem appello. Tunc
festus cum consilio locutus respondit. Cesarem appellasti.
ad cesarem ibis. Et cum dies aliquid transacti essent.
agrippa rex et hiernice. descenderunt cesaream ad sa XII.
lutandum festum. et cum dies plures ibi demorarentur.
festus regi indicauit de paulo dicens. Vir quidam
est derelictus a felice uinctus. de quo cum essem hieroso
limis. Adierunt me principes sacerdotes et seniores iudeorum.